IOSEPHUS FLAVIUS

Admont (?), um 1138/1165 Seite 186v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26829
Copyright: Admont, Benediktinerstift

obstare conarentur occiderent. Et in ytalia quidem ita res erant.

VESPASIANUS autem postquam ex ierosolimis proxima est depopulatus in cesaream reuertebatur. audiuit romanorum tumultus et uitellium principem. Hoc autem licet ipso imperium pati sic bene imperare nosset et ad indignationem productus est. dominumque dedignabatur eum qui uelut desertum inuasisset imperium. Dolore autem sauciatus cruciatum ferre non poterat. neque aliis uacare bellis cum patria uastaretur. Veruntamen quantum ira impellebatur ad ulciscendum. tantum longinquitatis cogitatio reprimebat. Multa enim fortunam posse noua facere priusquam ad ytaliam peruenire hiemis tempore ipse transiret. plusque iam crescentem iracundiam cohibebat. Rectores autem cum militibus conuenientes. aperte iam de mutatione tractabant. et cum indignatione uociferantes incusabant romae constitutos milites et in deliciis agentes. qui ne famam quidem belli sustineant quibus libuerit decernere principatum. et spe questus imperatores creare. se autem laboribus tot exactis sub galeis senescentes. aliis eam donare potestatem. cum apud se habeant digniorem imperio. cui si hanc admiserint quanto iustiorem uel quando referrent erga se beniuolentiae gratiam. tanto autem uespasianum quam uitellium iustius esse principem fieri. quanto illis qui eum declarassent ipsi prestarent. non enim se minora pertulisse bella quam qui ex germania uenissent. neque illis qui tyrannum inde ducerent in armis deteriores esse. nullum autem in creando uespasiano fore certamen. non enim senatum populumue romanum uitellii libidines pro uespasiani pudicitia pre-

pessuros. nec pro bono imperatore crudelissimum tyrannum. aut pro patre seuum principem optaturos. maximum enim pacis tutamen ueram in imperatore prestantiam. quam siue picię senectutis debeat imperium habere se uespasianum. siue uiribus adolescentiae titum cum ex ambobus etate quod erit commodum temperabitur. non solum autem se ministraturos declarantis imperatoribus uires. qui tres legiones regumque habentes auxilia conseruassent omnia ad orientem atque ad europam uitellii timoribus separata sed etiam qui essent in ytalia propugnatores. uespasiani fratrem atque alterum filium quoque alteri multos dignitate preditos iuuenes sociatum iri sperarent. alteri uero etiam urbis esset permissa custodia. que pars ad imperii principia non parum ualeret. postremo si ipsi cessarent senatum fortasse declaraturum esse principem quem conseruatores milites dehonestarent.

HEC primo per cuneos milites loquebantur. deinde congregati seque inuicem adhortati uespasianum imperatorem nuncupant. eumque ut in periculo constitutum imperium conseruaret orabant. Illi autem olim quidem rerum omnium cura fuit. neque quamquam uero imperare uolebat. dignum quidem se factis existimans. priuate autem uite securitatem clarioris fortune periculis anteponens. Recusanti autem rectores magis instabant. et circumfusi milites cum gladiis mortem ei minitabantur. nisi uiuere uellet ut dignus esset. Diu tamen reluctatus quod renuebat imperium. postremo cum his qui se designauerant minime persuadere potuisset accepit. mutiano autem ceterisque rectoribus qui eum ad imperium inuitauerant et exercitu alio uociferante ut se in omnes hostes duceret. prius res alexandrinas procurandas putauit. sciens autem egyptum plurimam esse partem imperii propter frumen-